



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

De Testamento hominis Religiosi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](#)



H O R A  
C O N S I D E R A T I O N I S ,  
Tempore pomeridiano ,  
Diei quartæ .

*De Testamento hominis  
Religiosi.*

Certum est. 1. Prohibitum esse Religiosis Professis testari , & Testamenta eorum irrita esse. Constat ex jure Canonico in Authent. *Ingressi Cap. de Sacros. Eccles.* Ratioque est , quia Religiosus Professus nec proprium habet , nec proprii est capax ; testari autem est actus proprietatis. Religiosi quoque Socieratis nostræ , neccuin professi , post vota tantum simplicia , licet validè possint testari , licet tamen non possunt , sine præscitu Superioris , qui post mortem eorum , testamentum in gratiam consanguineorum factum , irritare potest , ita ut consanguinei , non ex Testamento succedant , sed ab intestato , ut docet Suarez , Tomo 4. de Relig. lib. 4. cap. 6.

Certum est 2. Statutam esse poenam

in Jure Canonico , Cap. Monachi . Contra Religiosos , qui post mortem , habuisse aliquid proprii deprehenduntur : statutam , inquam , esse poenam , ut non in loco sacro sepeliantur , sed in sterquilinio , cum pecunia vel re per eos possessa , ut fecit S. Gregorius Magnus , quem jus allegat ; immò si in loco Sacro sepultus fuerit , est extrahendus , si id sine magno scandalo fieri potest . Nomine autem *proprij* intelligitur non solum dominium , sed etiam usus & possessio , independenter à Superioris consensu , juxta doctrinam Theologorum .

Certum est 3. dubiam ad minimum esse salutem eorum Religiosorum , qui multa superflua , unius vectoris onerario currui vix sufficientia , & interdum pretiosa , coacervant , detinent , & tandem post mortem relinquunt , quamvis ea cum licentia Superioris coacervaverint , & detinuerint , quia Concilium Tridentinum decernit , *Sess. 25 cap. de Regul.* Ut supellex Religiosorum , statui paupertatis , quam profitentur , sit conveniens , nihilque in ea superfluum sit . Non potest igitur licetè Superior Religiosus , immò nec ipsa communitas Religiosa , etiamsi habeat dominium Bonorum , dare licentiam subdito , seu particulari Religioso , ad superflua , quia non potest contravenire Concilio . Nec

tantum licet, sed nec validè potest Superior Religiosus dare facultatem subdito ad superflua, quia est solum administrator, tam bonorum temporaliū Religionis, quam eorum, quæ aliunde obveniunt subdito; administratio autem illi conceditur à constitutione Ecclesiæ ad necessaria solum, non superflua. Doctrina hæc desumitur ex gravissimis Theologis, apud Sanchez lib. 7. in *Præc. Dec. cap. 8. &c. 19. à num. 20.* Sed quidquid sit de his: Nunquid decet Socium Christi, (qui non habuit, ubi caput reclinaret, & qui nudus in cruce mortuus est) onustum superfluis mori? nunquid cum talibus sarcinis mortuus est S. P. Ignatius: qui in cubiculo suo nihil habuit præter novum Testamentum, Thomam de Kempis de imitatione Christi, & Missale, quod pridie Missæ dicendæ curabat sibi adferri, ut adnotavit P. Consalvus in Diario. Alios è nostris servos Dei, talium superfluitatum hostes, & eliminatores referre, superfluum duco.

Certum est 4. Inesse Religioso bona quædam, quæ in nuncupatione Votorum à se non alienavit, ut patebit ex praxi sequenti, & de his posse testatum confidere ejusmodi.